



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 5. De appetitu elicitu hominis viatoris ad intuitivam Dei
visionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

Potentia obediencialis identificatur realiter cum intellectu humano, & est illi essentialis; ergo Angelus comprehendens humanitatem, comprehendit potentiam obediencialem, & visionem, ad quam potest elevari. Resp. dist. maj. qui comprehendit comprehensione perfectissima, conc. comprehensione respiciente solum terminos creatos rei comprehensæ debitos, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia datur duplex comprehensio, altera quidem perfectissima, quæ res intuitivè cognoscitur in ordine ad omnes terminos, & respectus suæ capacitatis: & hæc non reperitur in Angelo, sed in solo Deo, ut de Deo dixi num. 274. Altera verò minus perfecta, quæ solum se extendit ad terminos, & respectus creatos debitos rei, quæ comprehenditur: cum autem nulli rei naturali sint debiti termini supernaturales, exinde per hanc comprehensionem, quæ res naturales cognoscit Angelus, nequit comprehendere terminos supernaturales. Ad Contr. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia licet identificetur cum potentia naturali, respicit diversos terminos quæ obediencialis, quàm respiciat quæ naturalis: ac proinde potest comprehendere quæ naturalis, quin comprehendatur quæ obediencialis. Ex dictis.

164. Fit 1. Non posse visionem beatificam intuitivam solis naturæ viribus per metaphysicam demonstrationem ostendi possibilem, adhuc

supposita revelatione. Ratio est, quia nullus actus naturalis potest cum revelatione, aut principiis supernaturalibus connecti; atque adeo ratione revelationis non potest habere intrinsicam, & formalem infallibilitatem, ut constat à num. 140. Fit 2. supposita revelatione possibile intellectum creatum viribus naturalibus probare conclusionem Theologicam possibilitatem visionis supernaturalis. Ratio est, quia conclusio Theologica supponit ex parte inferentis vel duplicem præmissam fidei, quarum quælibet metaphysicè est intrinsicè infallibilis: vel scilicet unam fidei, & alteram naturalem evidentem; ac proinde conclusio ex talibus præmissis legitime descendens est materialiter, sive objectivè infallibilis, & subjectivè certissima. Etenim concessis istis præmissis: *Quidquid Deus revelat, verum est: sed Deus revelat possibilem esse intellectum creato visionem Dei intuitivam: manet intellectus ad hanc conclusionem necessitatus. Ergo visio Dei intuitiva intellectui creato possibilis est.* Cæterum quia concessis præmissis eadem necessitate teneretur intellectus ad inferendam conclusionem sive præmissæ in re essent formalis fidei, ut in Catholico, sive apparentis, ut in Hæretico; exinde conclusio deducta non habet intrinsicam connexionem cum præmissis formalitas fidei, neque est supernaturalis, sed naturalis, ut constat ex num. 1, de Deo.

DISPUTATIO V.

DE APPETITU ELICITO HOMINIS VIATORIS AD INTUITIVAM DEI VISIONEM.

165. Quod homo viator, aut ulla pura rationalis creatura non habeat appetitum innatum ad intuitivam Dei visionem, satis constat ex dictis à num. 58. etenim cum Author naturæ Deus nihil frustra faciat, exinde producere nequit ullum naturalem appetitum, quem ut Auctor naturæ explere non possit. Quod autem homo instructus viribus gratiæ possit elicere appetitum, sive efficax desiderium visionis Dei intuitivæ, prout ad salutem oportet, constat ex fide, quæ docemur, teneri nos, atque adeo posse beatitudinem sperare. Unde Tridentinum Sess. 6. can. 3. ait: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Exinde quærentur hic Theologi, an homo solis naturæ viribus possit habere appetitum elicicum circa supernaturalem, sive intuitivam Dei visionem; & an talis appetitus sit liber & necessarius? Prima sententia docet, non posse puram rationalem naturam elicere ullum desiderium circa supernaturalem visionem Dei. Ita Cajet. 1. part. q. 12. art. 1. §. ad evidentiam. & 1. 2. q. 3. & 5. Vasquez 1. 2.

disp. 22. cap. 1. Licet ex diverso fundamento, Cajetanus quia seclusa revelatione Dei non potest haberi notitia donorum supernaturalium, ac proinde nec desiderium. Quod fundamentum amplectitur etiam Sorus in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. Vasquez verò, quia sine auxilio gratiæ, solis naturæ viribus non potest fieri amor objecti honesti. Secunda sententia affirmat posse hominem solis naturæ viribus habere appetitum elicicum circa visionem, & dona superna. Ita Bon. in 4. dist. 49. q. 2. Ex. Doct. 1. 2. q. 16. sect. ult. Pluresque alii, quos sequitur Ripalda lib. 1. de ente superno sect. 2. & Wortul Tract. de Vis. disp. 18. & communiter Recentiores.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

A Ssero 1. cum 2. Sententia. Potest Homo solis naturæ viribus habere appetitum elicicum circa supernaturalem visionem. Prob. 1. Auctoritate Conciliorum. Tridentinum enim citatum num. super. docet, appetitum elicicum à pura natura circa supernaturalem visionem

elici non posse, sicut oportet ad salutem. Quod etiam habet Arausiacum 2. can. 6. Atqui hæc ad notario, & additio, sicut oportet, arguit posse fieri actum desiderii sive spei circa supernaturalem visionem, quod ex se non fit, sicut oportet; atque adeo non conducit ad vitam æternam; ergo &c. Minor probatur ex eo, quod Concilia, quando statuunt necessitatem gratiæ ad opus morale bonum, addant, ea debere fieri, prout oportet ad salutem, & vitam æternam, inferunt communiter Theologi, dari alia quædam opera bona moralia, quæ ad salutem, & vitam æternam non conducunt, facta viribus solius naturæ sine auxilio gratiæ: ergo ex eo, quod Concilia simili notatione utantur, quando dicunt non posse hominem sine auxilio gratiæ habere desiderium, sive spem supernaturalem visionis, supponunt desiderium non salutare, sive naturale, & non conducens ex intrinsicis suis ad vitam æternam, posse sine auxilio gratiæ solius naturæ viribus elici.

167. Respondebis Concilia in hac annotatione solum supponere actum desiderii & spei non salutarem; ac proinde non conducentem ad vitam æternam, posse naturæ viribus elici; non tamen supponere tale desiderium respicere supernaturalem visionem, aut objectum ullum supernum. Contrà ramen. Concilia loquebantur contra Pelagium negantem necessitatem gratiæ ad eos actus salutariet eliciendos: atqui Pelagius admittebat, eos actus respicientes objectum supernum; & insuper addebat, eos fieri salutariet, sine auxilio gratiæ; ergo dum Concilia definiunt contra Pelagium necessitatem gratiæ ad eos actus cum illo addito, prout oportet ad salutem, supponunt possibiles alios actus habentes objectum supernaturale non conducentes ad salutem.

168. Prob. 2. Ratione. Intellectus potest solis suis viribus proponere voluntati ut probabiliter possibilem visionem supernaturalem, ut constat à num. 139. Sed posita illa naturali representatione intellectus, potest voluntas naturaliter prorumpere in desiderium beatitudinis supernaturalis; ergo &c. Probatur minor. Ad quamcumque cognitionem representantem objectum bonum potest sublequi amor ejusdem ordinis cum cognitione, amans objectum, aut bonitatem representatam, si cognoscens non sit in statu incapaci habendi talem amorem; ergo &c. Confir. 1. Quia ex ipsis terminis videtur esse contra rationem, quod aliquis amare non possit objectum, quando sibi persuadet illud esse bonum. Ergo posito actu naturali probabili de bonitate visionis supernaturalis, potest voluntas naturaliter elicere desiderium de tali visione. Confir. 2. ex August. lib. 4. contra Jul. c. 3. dicente: *Non homines omnes instinctu naturali immortales, & beati esse vellemus, nisi possessionem: sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum.* Ubi per instinctum naturalem saltem indicat desiderium elicibile naturale ex proportionem naturali illius

beatitudinis. Tum etiam per summum bonum hominibus non præstandum, nisi per Christum, procul dubio significat beatitudinem supernaturalem. Quo in sensu lib. 13. de Trin. c. 8. ait: *Ad volendum beatitudinem natura compellit.* Ergo &c.

169. Prob. 3. Bona supernaturalia expectari possunt affectu pravo: sed affectus pravius est omnino naturalis: ergo licet visio intuitiva sit supernaturalis, potest expectari affectu omnino naturali. Prob. maj. Simon Magus Act. 8. ambivit potestatem supernaturalem tribuendi Spiritum Sanctum, eamque ab Apostolis procuravit. Dæmones appetierunt inordinate beatitudinem supernaturalem, aut excellentiam Divinitatis, ut habet D. Thomas 1. part. q. 66. art. 3. ad 2. Hæretici, ut ait Tridentinum Sess. 6. can. 12. vanâ fiduciâ sperant remissionem peccatorum, & salutem æternam. Denique Sacerdotes Sacrilegi in fines malos dirigunt consecrationem Eucharisticam, ordinem, & absolutionem sacramentalem: ergo affectibus pravis amari possunt objecta supernaturalia.

170. Prob. 4. Facilius est homini moveri ad amandam bonitatem, quam ex propositione intellectus talem esse firmiter credit, quam moveri ad credendum naturaliter, quod difficillimum creditu apparet: atqui potest intellectus creatus moveri ad credendum naturaliter, quod difficillimum creditu apparet, ut constat in Hæreticis, qui mysteria fidei, nempe Trinitatem, & Incarnationem credunt; ergo &c. Unde inferes, posse voluntatem elicere appetitum, seu desiderium, quantum est ex se efficax, ad obtinendum bonum supernaturaliter propositum. Quamvis vi illius desiderii tale objectum obtinere non possit, neque habeat connexionem cum illo: ac proinde non sit efficax effectivè, ut ait Ex. Doct. hic disp. 16. sect. ult. num. 5. & tom. 1. de gratia lib. 2. c. 3. & 13. Etenim proposita bonitate, quæ valde conveniens apparet, potest quis moveri ad illam, quantum est ex se, desiderandam; ergo & pura natura proposita illi bonitate visionis Dei supernaturalis, poterit, quantum est ex se, elicere desiderium obtinendi illam.

171. Affero 2. Creatura rationalis necessitatur salutem quoad speciem ad amandam beatitudinem absque ulla mixtione malitiæ ipsi propositam. Prob. 1. Necessitas amoris quoad speciem tunc datur, quando voluntas non habet omnia prærequisita ad odio prosequendum objectum: solumque habet libertatem ad actu amandum, vel ad actu non amandum: sic quando nullum cogit motivum, ut Petrum amemus, vel odio habeamus, dicere possumus, neque Petrum amo, neque illum odio habeo: atqui quando beatitudo representatur creaturæ rationali absque ulla mixtura malitiæ, non habet libertatem ad illam odio prosequendam; ergo &c. Prob. min. ut voluntas sit libera ad odio prosequendum objectum, debet proponi aliquod malum vel in ipso, vel in illius consecutione: sicut cum

est libera ad illud amandum, requiritur, quod in ipso, vel in illius consecutione proponatur aliqua bonitas, ut constat ex num. 114. Sicut enim malum ut malum nequit esse objectum amoris, ita bonum ut bonum nequit esse objectum odii: atqui beatitudo representata absque ulla mixtione malitiæ, representatur purè ut bona; ergo &c.

172. Prob. 2. Non est minùs potens beatitudo absque ulla mixtione malitiæ proposita ad excludendum ipsius odium, quàm quæcumque alia bonitas delectabilis eodem modo proposita sit potens ipsius odium excludere; atqui bonitas delectabilis absque ulla mixtione malitiæ proposita excludit omnino ipsius odium à voluntate, ut patet in motibus primò primis; ergo &c. Confir. ex Locutionibus S. S. P. P. apud Ruiz disp. 42. de Provid. Sect. 2. & 6. dicentibus: *Omnes velle esse beatos*; & constat ex August. cit. num. 1. & 168. quæ saltem de beatitudine absque ulla mixtione malitiæ proposita, & de ejus amore saltem quoad spem necessariò debent intelligi; ergo &c.

173. Affero 3. Beatitudo proposita per notitiam purè abstractivam absque ulla mixtione malitiæ necessitat ad amorem ipsius non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium. Prob. 1. Quando beatitudo proponitur nobis, licet abstractivè, absque ulla mixtione malitiæ, voluntas non potest illam odio profsequi, ut constat à num. 171. Deinde nec potest illam actualiter non amare: ergo quando beatitudo ita proponitur, manet voluntas non solum quoad speciem necessitata ad illius amorem, sed etiam quoad exercitium. Prob. ant. Quando voluntas non habet ex parte objecti representatam malitiam ullam, nequit odio profsequi: sicut non potest amare, quando ex parte objecti non habet representatam bonitatem. Deinde bonitas, quantumvis abstractivè representata, absque ulla mixtione malitiæ ex parte objecti à cognitione representati, necessitat ad actualem amorem, ut constat ex num. 114. si enim illi, qui actualiter credentes absque intuitiva visione Dei non posse dari beatitudinem, illam non amant, sed potius voluptatibus dediti eam contemnunt, idè est, quia ex parte cognitionis representatur arduitas, & difficultas vincenda, & amplectenda, ut beatitudo ita representata obtineatur, ut eo num. diximus. Ergo quando ex parte objecti à cognitione representati nulla apparet arduitas, & malitia, sed pura bonitas beatitudinis, quam ex num. 105. natura appetit, manet voluntas non solum quoad speciem necessitata ad illius amorem, sed etiam quoad exercitium.

174. Prob. 2. Beatitudo rationalis creaturæ utpote constituta ex Deo, tamquam ex fine qui ex dictis à num. 15. & 36. majorem vim habet attrahendi ad actualem amorem, quàm voluntas creata habeat vim retrahendi se ab ipsius amore: ergo si ex parte cognitionis, quæ est applicatio beatitudinis objectivæ, ut ad actualem ipsius

amorem moveat voluntatem, nullum detur impedimentum, ut actu exerceat totam suam motionem, actu necessitat voluntatem ad actualem amorem beatitudinis: atqui cognitio, quando ex parte objecti ab ipsa attracti nullam representat voluntati malitiam, sed puram beatitudinis bonitatem, nullum ad est impedimentum, ne actu exerceat beatitudo totam suam motionem, cum sola malitia aliunde representata impedimentum esse possit; ergo &c. Confir. 1. Quia rationes adductæ à num. 171. Si bene expendantur, non solum probant necessitatem amoris quoad speciem, sed etiam quoad exercitium; ergo &c. Confir. 2. Intellectus non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium necessitat ad assentiendum vero representato purè ut vero; ergo voluntas non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium necessitat ad amandum bonum representatum purè ut bonum.

175. Prob. 3. Si beatitudo purè ut bona, & absque ulla malitiæ mixtione representata non necessitat quoad exercitium ad actualem illius amorem, nulla esset ratio, quare bonitas delectabilis absque ulla mixtione malitiæ representata voluntati necessitaret ad actualem illius amorem, & ratione illius necessitatis excusaret à peccato formali, ut contingit in motibus primò primis: atqui bonitas delectabilis ita proposita necessitat, & idè excusat à peccato formali, ut docent Theologi; ergo &c. Confir. ex D. Thoma 1. 2. q. 10. art. 2. in corp. dicente: *Sicut autem coloratum in actu est objectum visus, ita bonum est objectum voluntatis: Unde si proponatur aliquod objectum voluntati, quod sit universali-ter bonum, & secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum: si autem proponatur sibi aliquod objectum; quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud: & quia defectus cujuscumque boni, habet rationem non boni, idè illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo;* ergo &c.

176. Affero 4. Quando beatitudo deliberatè proponitur cum aliquali ratione mali respectu hominis, nimirum prout arduè obtinenda, aut cum difficultate comparanda, non necessitat voluntas ad amorem illius neque quoad speciem, neque quoad exercitium. Probatur 1. Quamvis beatitudo ita proposita sit majus bonum, quàm carentia arduitatis in ea obtinenda, voluntas pro libito suo potest eligere minus bonum relicto majori; ergo potest amare bonum illi representatum in fugienda arduitate, & odio habere beatitudinem, quæ non representatur absque ea arduitate obrinenda. Et certè illi, qui voluptatibus suis dediti nolunt vitia relinquere, quamvis sciant esse causam amittendæ beatitudinis, beatitudinem non amant: Imò potius sæpè illam odio profsequuntur. Quod glarius

clarius apparet in illis corde excæcatis, qui formale Dei odium concipiunt: atqui in eo casu neque quoad speciem, neque quoad exercitium necessitantur ad amorem beatitudinis ita propofitæ; ergo &c.

177. Prob. 2. Ut constat experientiâ, non minus movet homines ad concipiendum odium illius summa miseria, seu æterna damnatio, quàm beatitudo moveat ad concipiendum illius amorem: atqui voluntas non necessitatur ad odium summæ miseriæ, seu damnationis, quando repræsentatur illi fugienda, relinquendo amorem ad vitia; ergo neque beatitudo necessitabit ad amorem illius, quando repræsentatur obtinenda, relinquendo amorem ad voluptates, quibus homo est deditus. Fateor sæpè, saltem in fidelibus, conjungi aliquem amoris actum inefficacem erga beatitudinem, adhuc quando se vitii tradunt, sperando ea aliquando relinquere, & beatitudinem obtinere: at talis amoris actus non procedit à voluntate ad illum necessitata: potest enim voluntas quantumvis vitiose, & irreçtè se gerens, talem amoris actum non concipere, sed potius odium beatitudinis ita constitutæ, ut solum relinquendo vitia, & voluptates obtineri possit.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

178. Obj. 1. Contra primam. Visio intuitiva Dei, omniâque dona supernaturalia sunt impossibilia solis naturæ viribus: sed homo non potest impossibilia amare actu affectivè efficaci, sive efficaci, quantum est ex se; ergo &c. Confirmat. Actus affectivè efficax connectitur cum suo objecto: sed actus naturalis nequit connecti cum visione supernaturali; ergo &c. Resp. dist. maj. sunt impossibilia quoad affectionem, conc. quoad affectum, neg. maj. & dist. min. neg. conf. Ratio est, quia voluntas circa impossibilia elicere potest actum affectivè efficacem: ut enim actus sit affectivè efficax, satis est, quod vi illius voluntas moveretur ad ponenda media naturalia, si terminus esset naturalis, & per illa media consequibilis: sic Lucifer desiderabat supra solum Dei exaltare solum suum. Quinimò, si rigorosè loquamur, licet natura suis viribus non possit obtinere dona supernaturalia, potest suis viribus illa desiderare, ut obtinenda per vires, quibus obtineri possunt. Ac proinde cum defacto possint obtineri per auxilia, quæ Deus nobis confert ad illa obtinenda, potest natura suis viribus desiderare, quod Deus ea conferat; ac proinde licet visio supernaturalis, & dona superna sint impossibilia puræ naturæ quoad affectionem, nequaquam sunt impossibilia quoad eorum affectum non salutarem. Exinde ad confirmationem neg. maj. Quia talis affectus inefficax affectivè non connecteretur cum visione propter rationem datam n. 140.

179. Obj. 2. Si natura suis viribus posset desiderare
R. P. Gormaz Theolog. Tom. 1.

efficaciter affectivè visionem supernaturalem, posset per naturæ vigorem habere affectum ad credendum fide supernaturali, contra Arausicanum 2. can. 5. & contra Augustinum passim docentem, desiderium gratiæ esse ex gratia; ergo &c. Conf. Desiderium efficax quantum est ex se, licet non sit efficax effectivè, includit virtualiter voluntatem exequendi omnia media necessaria ad talem finem; ergo includit virtualiter voluntatem exequendi media ad salutari-ter credendum, & sperandum: ac proinde præstabit munus piæ affectionis, ratione cujus haberi poterit initium fidei, & justificationis: quod contra Pelag. & semipel. damnatum est. Resp. dist. ant. Affectum proportionatum, aut inproportionatum ad credendum fide supernaturali, C. proportionatum, neg. ant. & conf. Quod velint, nolint, fateri tenentur adversarii admittentes actum naturalè inefficacè ad visionem supernaturale. Explico solutionem. Appetitus naturalis affectivè efficax solū potest movere voluntatè ad exequenda media cū ipso proportionata: ac proinde cū actus fidei supernaturalis, aut media ad ipsum omnino sint indebita, & inproportionata actui naturali, talis actus naturalis non habet virtutem ad exequenda ea media, solūmq; habet virtutem ad exequenda media sufficientia ad actus fidei, & spei naturalis inconnexos cum objecto superno. Aliter actui naturali nulli habenti jus ad supernum donum, deberetur donum supernum; quod non minus est chymæra, quàm indebitum deberi. Exinde

Ad confirmationem dist. ant. Exequendi omnia media cum ipso proportionata, aut ipsi debita, C. cum ipso inproportionata, & omnino indebita, neg. ant. & conf. Unde cum actus piæ affectionis requisitus ad actus fidei, aut spei supernaturalis, & uno quidem verbo, omnia dona supernaturalia omnino indebita, & inproportionata sint illi actui naturali, exinde talis actus naturalis affectivè efficax, & inefficax effectivè, nequit ullo modo movere ad exequenda media supernaturalia, quibus obtineatur vel actus fidei, vel actus spei supernaturalis. Quinimò, ut constat à n. 140. ille actus naturalis purè affectivè efficax erga dona superna, cum nullam habeant cum donò superno connexionem, eodem modo manerent, si dona superna revera possibilia, sive impossibilia forent: actus autem idem omnino manens, sive objectum, in quod tendit, sit impossibile, sive possibile, nequaquam habet virtutem executivam, quæ exequi possit illud objectum: cum ergo ad minus requireretur, ut posset initiare justificationem, exinde evidenter apparet, per talem actum nequaquam haberi posse initium justificationis.

Obj. 3. Ex Gonet. Omnis appetitus elicitus fundatur in aliqua cognitione: unde communiter dicitur, *nil volitum, quin præcognitum*, atqui naturali lumine rationis visio beatifica non potest cognosci ut possibilis, nec Deus ut author

Mm

gra

gratiæ, & gloriæ, sed tantum ut author naturæ; ergo quamvis ex cognitione naturali creaturarum sequatur in nobis desiderium naturale videndi primam causam, quatenus prima causa naturalis est, non tamen cognoscendi Deum, ut est in se, & videndi divinam essentiam. Confirm. Circa objectum ut apparens impossibile, seu nondum apparens ut possibile, nullus appetitus ex se efficax fundari potest: ergo cum homo, ex viribus naturæ possibilitatem visionis Dei, ut est in se, apprehendere non possit, non potest ex viribus naturæ illam appetere, appetitu elicito, & ex se efficaci. In hoc auctore, & formam arguendi, & consequentiam doctrinæ suæ desidero, quam paucis interjectis omnino deserit, docens in eodem *paraphrasi* posse ex viribus naturæ elici appetitum inefficacem, & conditionatum claræ Dei visionis, quod, ut ait, patet in hæreticis. Si ergo appetitus elicitus circa objectum non cognitum nequit haberi, quomodo in hoc argumento supponit tanquam certum, non posse hominem naturalem claram Dei visionem cognoscere? Certe quanta sit inconsequentia doctrinæ omnes vident. Cæterum his omis

182. Resp. dist. maj. Fundatur in aliqua cognitione, vel certa, vel probabili, vel dubitativa, C. in aliqua cognitione semper certa, neg. maj. & dist. min. N. conf. Quia lumine naturæ possumus probabiliter cognoscere possibilitatem visionis intuitivæ Dei, ut ipse author eadem disputatione fatetur n. 45. & 46. Unde in majori ista propositione assumitur ab ipso in sua doctrina cognitio præscedit ab evidenti, aut probabili: in minori verò propositione, quando dicit, naturali lumine non posse visionem cognosci, ne se ipsum deserat, nequit loqui de cognitione præcedente à demonstrativa, & probabili: sed loquitur de sola demonstrativa. Unde in principiis hujus authoris, syllogismus constat quatuor terminis. Exinde ad confirmationem dist. ant. Non dum apparens ut possibile, sive per cognitionem probabilem, sive evidentem, conc. per solam evidentem, neg. ant. & conf. Quia ex eo, quod probabiliter cognoscimus viribus naturæ, possibilem esse visionem Dei intuitivam, possumus etiam concipere appetitum elicito erga illam affectivè efficacem, etsi inefficacem effectivè, ut supra dixi.

183. Objic. 4. Ex eodem auctore ratione, ut ipse ait, fundamentali. Appetitus elicitus efficax est ille, qui fertur in objectum propriis viribus, & ex vi illius desiderii consequibile: sed visionem beatam non possumus consequi solis naturæ viribus, ut est certum de fide: beatitudo enim perfecta, quæ in tali visione consistit, est finis supernaturalis hominis, ad quem ordinatur ex divina gratia, ut in pluribus Conciliis definitum est contra Pelagianos; ergo ex viribus naturæ non datur in homine appetitus elicitus, & efficax ad claram Dei visionem. Cæterum quam debilis sit ratio, satis constat ex dictis. Unde Resp. dist. maj. Appetitus elicitus

efficax effectivè, & proportionatus cum objecto voluto, conc. efficax solum affectivè, & improporionatus cum objecto voluto, neg. maj. & conc. min. neg. in sensu exposito consequent. Ratio est, quia si appetitus elicitus solum est affectivè efficax, nihil impedit, ne tendat in objectum supernum, ut patet in hæreticis, qui quantum est ex se, apponunt media ad beatitudinem improporionata ex desiderio effectivè inefficaci, & efficaci affectivè.

Obj. 5. Contra secundam. Non solum datur in voluntate potestas ad amandum, aut odio habendum, sed etiam ad nolendum, aut amorem, aut odio habere, ut dixi n. 171. Ergo quando voluntati proponitur beatitudo, licet representetur absque ulla mixtione malitiæ, manebit voluntas libera ad nolendum amare, aut odio habere: ac proinde manebit libera quoad speciem amoris. Confirm. Cognitio, per quam representatur beatitudo absque ulla mixtura malitiæ est abstractiva: sed cognitio abstractiva non potest necessitare ad amorem quoad speciem; ergo &c. Resp. conc. ant. & neg. consequent. Quia ea liberas solum competit voluntati respectu objecti representati, aut non purè boni, aut non purè mali: cum in eo casu nihil detur, ex quo voluntas cogatur: secus autem quando representatur objectum ut purè bonum, cum in eo casu nihil detur, à quo voluntas retrahi possit, ut constat à num. 171. Ad confirmationem conc. maj. & dist. min. non potest necessitare, si representet ex parte objecti aliquam malitiam, conc. si representet puram bonitatem, neg. minorem, & consequentiam. Ut constat ex dictis.

Objic. 6. Contra tertiam. Quando Petrus mihi aliquid revelat, asserens id esse omnino verum, & ipsius testimonium non apparet falsum, proponitur objectum ut verum absque ulla mixtione falsitatis: & tamen licet possum propter urbanitatem assentiri, absque possum non assentiri. Ergo licet per cognitionem abstractivam proponatur beatitudo ut bona absque ulla mixtione malitiæ, quamvis possum eam amare, potero etiam pro libito meo eam non amare; ac proinde non necessitabitur voluntas ad amorem quoad exercitium. Resp. dist. antecedens: Proponitur objectum ut verum absque ulla mixtione falsitatis, quoad dici, conc. quoad esse, neg. ant. & consequent. Ratio est, quia licet Petrus dicat, illud esse omnino verum, & nullo modo falsum, adeoque representetur ut purè verum quoad dici, non exinde representatur ut purè verum quoad esse; nam objectum in eo casu non representatur magis verum, quam representetur verum testimonium Petri: cum autem testimonium Petri representetur fallibile, exinde objectum non representatur infallibile quoad esse, sed obnoxium falsitati: atque adeo non cogit ad assensum. At verò in nostro casu objectum non representatur ut potens esse bonum, & malum, sed ut determinate bonitatis

bonitatis, absque ulla mixtura malitiæ, & absque ulla formidine de bonitate: ideoque cogit voluntatem ad amorem. Unde ex uno casu ad alium nulla est umbra paritatis. Sicuti apud adversarios nulla est paritas inter repræsentationem finitam, & ænigmaticam, & objectum infinitum ab ea repræsentatum.

186. Objic. 7. Contra quartam. Nunquam potest proponi divina bonitas, quin homo necessiterur ad aliquam illius complacentiam, etsi inefficacem, neque proponi potest unquam æterna damnatorum miseria, quin voluntas necessiterur ad aliquod odium, etsi inefficax illius: ergo proposita æternâ beatitudine, non manet voluntas libera ad omnem amorem, sed potius necessitata ad aliquem amorem illius. Confirm. Stat bene, quod mercator ob desiderium conservandi vitam projiciat merces in mare, retinendo affectum inefficacem erga merces; ergo stat bene, quod voluntas graviter offendens Deum, & ab illo se averrens, conserveat affectum amoris inefficacem erga ipsum; atqui nulla est ratio negandi talem amorem; ergo &c.

187. Resp. neg. ant. Quia voluntas etsi quandoque possit retinere talem inefficacem amorem, ut patet in exemplo adducto mercatoris, nequaquam necessitatur ad amorem illum retinendum. (idem esto de odio damnationis) Etenim cum beatitudo non proponatur absque

ulla mixtione malitiæ, aut difficultatis in ejus consecutione, potest voluntas, si velit, concipere solum amorem fugiendi illam difficultatem, quin concipiat amorem bonitatis summæ, aut beatitudinis. Sicut mercator, quamvis concipiat illam inefficacem volitionem retinendi merces, potest, si velit, eam non concipere, sed odio habere merces, quæ tantum periculum ei attulere, & ad tale extremum vitæ, quam amat, adduxere.

Ad confirmationem C. 1. entimemate, neg. subsumptam minorem. Ratio est, quia ex eo, quod possit concipi affectus inefficacis amoris, malè arguitur debere concipi, ut de mercatore diximus n. super. Voluntas enim, cum libera sit inter duo extrema inæqualia ad amandum unum, & nullatenus amandum alterum; vel ad amandum efficaciter unum, & inefficaciter alterum, si cum plena deliberatione, & libertate constituatur, potest pro libito suo elicere amorem circa unum, quin ullum amorem eliciat circa alterum, licet simul possit elicere amorem efficacem circa unum bonum contrarium, & amorem inefficacem circa alterum. Exinde autem nequaquam probatur necessitas, sed potius libertas ad quemcumque amorem erga utrumlibet. Qua de causâ beatitudo supernaturalis ita proposita, nequaquam cogit voluntatem ad unum amorem illius, etsi inefficacem.

DISPUTATIO VI.

DE CONSTITUTIVO SUPERNATURALIS BEATITUDINIS.

189. Duplex est beatitudo, altera formalis, & altera objectiva. Beatitudo objectiva est summum bonum, sive finis per se ultimus qui naturæ rationalis, expositus num. 6. Beatitudo formalis est possessio summi boni, quæ rationalis natura quieta, & satiata manet; sicut de fine quo diximus eo num. 6. Unde cum finis per se ultimus qui sit solus Deus O. M. Ut constat à num. 15. Exinde beatitudo nostrâ objectiva est solus Deus. Utrum possit dari beatitudo objectiva ex possessione, aut visione divinæ essentiæ absque visione personalitatum, sive, quod idem est, viso intuitivè Deo ut uno, & non viso intuitivè Deo ut trino, quæstio est infra à nobis decidenda. Præcipua in præsentî controversia exagitur de beatitudine formali, an nimirum consistat in solo actu intellectûs, an in actu solo voluntatis, an in utroque, vel in aliquo alio ab utroque distincto. Pro cuius resolutione sit

SECTIO I.

In quo consistat Beatitudo formalis?

190. Prima sententia docet beatitudinem formalem stare in quadam circumfessione, seu illa-
R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

psu divinitatis in animam beati, peculiariq; divinæ essentiæ unione cum illa. Ita Henric. Gandav. quodlib. 13. quæst. 12. Quamvis enim Vasquez 1. 2. disp. 8. neget Henricum beatitudinem nostram formalem in hujusmodi illapsu constituisse, vero similis tamen est, illum in hac fuisse sententia, cum Deum non in facultates tantum, seu potentias, intellectum scilicet, & voluntatem, quod fortè de operationibus intelligi possit, sed in ipsam animæ substantiam illabi affirmet. Secunda sententia docet beatitudinem nostram formalem in solo actu intellectûs, seu intuitiva Dei visionem esse. Ita communiter Thomistæ, Durandus, Vasquez, Tannerus, Gratadus, & alii tum antiqui, tum moderni. Tertia sententia econtra docet, consistere in solo actu voluntatis, amore scilicet amicitie erga Deum intuitivè visum. Ita videtur sentire Scotus in 4. dist. 49. quæst. 4. & 5. quem in hoc sensu plures Scotistæ sequuntur. Quarta sententia docet, dari duplicem beatitudinem formalem, alteram quidem consistentem adæquatè in visione DEI; alteram verò consistentem adæquatè in amore DEI visi. Ita Ripaldâ disp. 110. de Ente super. sect. 3. Et ex ipso aliqui Recentiores. Quinta sententia